

*Deus eos, qui dormierunt, per Iesum adducet cum eo.*

Léctio Epístolæ primæ beāti Pauli apóstoli  
ad Thessalonicénses

4, 13-18

- <sup>13</sup> **N**ólumus vos ignoráre, fratres, de dormiéntibus,  
ut non contristémini sicut et céteri,  
qui spem non habent.
- <sup>14</sup> Si enim crédimus quod Iesus mórtuus est et resurréxit,  
ita et Deus  
eos, qui dormiérunt, per Iesum addúcet cum eo.
- <sup>15</sup> Hoc enim vobis dícimur in verbo Dómini,  
quia nos, qui vívimus,  
qui relínquimur in advéntum Dómini,  
non præveniémus eos, qui dormiérunt;
- <sup>16</sup> quóniam ipse Dóminus in iussu,  
in voce archángeli et in tuba Dei  
descéndet de cælo,  
et mórtui, qui in Christo sunt, resúrgent primi;
- <sup>17</sup> deínde nos, qui vívimus, qui relínquimur,  
simul rapiémur cum illis in núbibus  
óbviam Dómino in áera,  
et sic semper cum Dómino érimus.
- <sup>18</sup> Itaque consolámini ínvicem in verbis istis.

Verbum Dómini.